

vel quæ defunctus circa res ipsius bonorum possessoris habuit, per confusionem extinguuntur, adeo ut omnia ea, quæ in *precedd. thes.* de hereditatis aditione dicta sunt, etiam in agnitione bonorum possessionis legitime facta procedant: quanquam enim ratione Causæ Efficientis maxime a se invicem differant bonorum possessio & hereditas. *pr. I. d. bon. possess.* quoad effectum tamen idem jus, quod per causam hereditariam jure Civili heres nanciscitur, jure Prætorio in bon. possessorem transfertur. *l. 13. pr. ff. d. bon. poss. contra tabb.* hinc passim dicitur, quod hic successor honorarius sit heredis loco, & cum herede æquo jure censeatur, parique passu cum eo ambulet. *l. 2. ff. d. Bon. poss. d. l. 13. pr. ff. de bon. poss. contra tabb. l. 117 l. 128. §. 1. ff. de Reg. Jur. l. 9. §. 6. ff. d. Interrog. in jur. fac. l. 10. ff. ad SCt. Vellej. l. 1. §. 8. ff. Ut legat. nom. cav. & bonorum possessio hereditatis appellatione contineatur. l. 138. ff. d. Verb. Sign. l. 1. §. 7. ff. ad SCt. Vellej. l. f. C. Qui admitt. ad bon. possess.*

## XXVI.

3. Acquisitio  
per arrogationem.

Est & alterius generis per universitatem successio, quæ neque legi 12. tabb. neque Prætoris edicto, sed juri consuetudinario suam debet originem, quando scil. persona sui juris in alterius familiam loco filii legitime assumitur, quo casu, cum secundum jus antiquum arrogatus una cum capite omnes suas quoque fortunas i. e. omnia sua bona, jura activa & passiva in patrem suum arrogatorem transferat. *l. pen. §. 2. ff. d. bon. poss. sec. tabb. l. 15. pr. ff. d. adopt.* adeo ut actiones, aliaque jura citra ullam cessionem, quæ alias in translatione rerum incorporalium necessaria est, ipso jure transeant. *§. 1. ibique Bachov. in Comment. I. d. acquis. per arrog.* necesse est, ut & actiones arrogato contra arrogantem vel ex diverso arroganti contra arrogatum competentes, cum per hunc per universitatem acquirendi modum in unam concurrant personam, confundantur & per confusionem extinguantur. Postquam vero hæc acquisitio ab Imperatore nostro ad exemplum naturalium parentum est coarctata, ita ut jure novo jura & actiones arrogati in patrem arrogantem non deriventur, sed arrogatus in rebus antea ex militia togata vel sagata acquisitis plenum retineat dominium. *l. 4. §. 2. ff. d. Castr. pecul.* in bonis vero aliunde quæsitis præter usumfructum

fructum